

4. Bibliographie der Schriften

METHODUS EXERCITATIONUM BIBLICARUM, QVAE CONSILIO ET AUCTORITATE ORDINIS THEOLOGICI IN ACADEMIA HALENSI Inter THEOLOGIAE STUDIOSOS, vt ea, quæ ...

Francke, August Hermann

Halle, 1707

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

METHODUS
EXERCITATIONUM
BIBLICARUM,

2^VAE

CONSILIO ET AUCTORITATE
ORDINIS THEOLOGICI
IN ACADEMIA HALENSI

Inter

THEOLOGIAE STUDIOPOS,

ut ea,

quæ discunt, ad praxin viuam & futuram
etiam vsum ministerialem perpetuo
referant,

& adhuc Instituta,
& imposterum instituendæ sunt,

Præmissa ad Studiosos Parænesi,

delineata

ab

AUGUSTO HERM. FRANKIO,

SS. Theol. Profesf. Ordin.

Editio Secunda.

H A L A E,

Typis ORPHANOTROPHII, An, M D CC VII,

ME...
EXERCITATIONUM
BIBLIOTHECA

ORDINE ET M...
ORDINE ET M...
IN ACADEMIA

LUDOLGII



CHRISTOPH...
CHRISTOPH...

...



PARAENESIS
AD
STVDIOSOS THEOLOGIAE
IN ACADEMIA HALENSI.

*Gratia sit vobis, Misericordia & Pax a
DEO Patre nostro, & CHRISTO JESV
Domino ac Seruatore nostro!*

Voto isthoc, quod Pau-
lus pro Timotheo Ti-
toque facit, *Vos com-
pello, Dilectissimi Iuuenes, qui colen-
di Studii Theologici gratia ad Aca-
demiam Halensem accessistis. Co-
gitanti enim mihi, quod ex manda-
to Christi (Matth. IX, 38.) rogandus
sit Dominus messis, vt emittat operarios in
messam suam, spes ex ipsa frequentia,*
A 2 qua

qua huc confluxistis, suboritur, fore, ut aliquando etiam gratias Domino agere possimus, quod in messem exoptatam complures, ut alias, ita nostro quoque tempore, emiserit emittatque operarios. Ea vero spes ne a vobis reddatur vana atque irrita, qua re opus est magis, quam *Gratia*, quam *Misericordia*, quam *Pace* diuina? Nam nisi *Gratia* cælestis animis vestris illuxerit, nisi *Misericordia* Dei calefecerit pectora vestra complexu suo efficacissimo, nisi pax Christi, quam mundus nec habet, nec dare potest, cum Deo corda vestra firmis conjunxerit vinculis, quid proderit vobis, quid Ecclesiæ, vos Theologiam coluisse? Iccirco non tantum ea vobis quotidie traduntur iusto ordine a vobis discenda, quæ ad Scientiam Theologicam, & aliquem in administrandis functionibus ecclesiasticis

cis vsum aliquo modo referri possunt; sed via etiam solite demonstratur, ad Theologica theologice, Spiritualia spiritualiter tractanda, ne, si ea, quæ modo discitis, olim aliis adnunciatis, nihil sitis, præterquam
as resonans ac cymbalum tinniens.

Hinc toties totiesque vobis talia monita inculcantur: *Proram ac puppim Studii Theologici esse debere animæ propriæ curam; ante omnia certum esse debere Theologiæ Studiosum, quod non nomine, sed re Christianus sit, & quod e tenebris ad lucem ipse antea peruenit, quam lumen aliis præferre in animum inducat; sanctis manibus sanctum Dei verbum esse tractandum; animumque adferendum esse eo dignum, non tantum purum ab omnibus, quoad fieri potest, vitiorum inquinamentis, verum etiam ab omni cupiditatum tumultu tranquillum ac quietum: quo expressius in vobis velut in amne placido aut speculo leui*

*Et exterso reluceat aeternae illius veritatis
 imago, vt Erasmi hic vtat verbis;
 non investiganda solum in Scripturis testi-
 monia de Christo, sed ad ipsum Christum
 veniendum esse ei, qui vitam aeternam con-
 sequi velit; item: Homines non renatos
 in rebus spiritualibus & diuinis ex proprijs
 naturalibus viribus prorsus nihil intellige-
 re, sed ignorantes, caecos ac perversos esse,
 adeo, vt ingeniosissimi & doctissimi inter
 eos Euangelium non percipiant, etiamsi id
 legant atque audiant, testibus ipsis Formu-
 lae Concordia verbis; & propterea viam pa-
 tere debere Spiritui Sancto vera cordis poeni-
 tentia, vt de veritate in veritatem ipse du-
 cat, atque animum sancto lumine impleat;
 & quæ sunt alia eius generis.*

Id nimirum ab iis, quorum cu-
 ræ vos Deus commisit, agitur vni-
 ce, atque in eo omni opera & dili-
 gentia laboratur, vt Serui Dei viui e-
 vadatis, quorum non dissona sint
Cor,

Cor, Lingua, Manus, hoc est, qui ad præscriptum verbi Dei recte & sentiant & loquantur, & agant.

Huc præter alia tendunt *Collegia* illa *Biblica*, quæ, vt inter vos instituantur, & instituta perpetuo vigeant, commendari solent, quorumque fructum longe vberimum quam plurimi ex vobis iam tum ipso vsu experti sunt, & etiamnum maximopere experiuntur. Est enim in iis non omnis quidem, sed nec spernenda tamen *πρός εὐσεβείαν γυμνασία*, quam Paulus (1 Tim. IV, 7.) a suo Timotheo exposcit. Et quid magis deceat Theologiæ Studiosos, quam dare operam lectioni & meditationi verbi diuini; Scripturam coniunctim tractare; in hoc, vt se mutuo in pietate ac studiis adiuuent, esse totos, vt, quod proficiant, manifestum sit inter omnes;

quacumque sunt vera, quacumque honesta,
 quacumque iusta, quacumque pura, quacumque
 amabilia, si qua virtus, si qua laus est, ea re-
 putare; quæ & didicerunt & acceperunt, &
 audierunt & viderunt in Præceptoribus
 aliisque, cum vita Jesu Christi
 consona, ad ea se inuicem excitare, eaque
 facere & imitari, (Phil. IV, 8.9.) do-
 nec euadant ipsi exemplaria fidelium in
 sermone, in conuersatione, in caritate, in
 spiritu, in fide, in castitate? 1 Tim. IV, 12.
 Hæc talia omnes cordati probant,
 nec improbare quisquam potest,
 nisi qui fuerit ipse improbandus.

Vos autem non audiatis eos, qui
 conuentus hominum peruersorum
 ad diurnas nocturnasque compota-
 tiones, ad colloquia inutilia, vana
 ac praua, ad lusus petulantes aut lu-
 cri causa institutos, & ad omnis ge-
 neris otia Christianis minime di-
 gna, in concessis ponunt iuuentutis
 ob-

oblectamentis, saltem non impedire pro virili student; pia autem ad ædificationem cultumque animi in agnitione veritatis euangelicæ instituta colloquia fastidiunt, calumniantur, ac malitiosè suspecta reddunt. Quin potius, vt fas est, *Christum* audiatis, etiam promisso vos longe maximo ad commercium sanctum pellicientem, cum ait: Matth. XIX, 20. *Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Quid exoptatius vobis esse potest, quam quod medius inter vos *Christus* esse cupit & pollicetur? Eius porro *Apostolum* audiatis Col. III, 16. scribentem: *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia, docendo & admonendo vos in psalmis & hymnis & canticionibus spiritualibus, cum gratia canendo in vestro corde Domino.* Et I Theff. V, II: *Adhortamini alii alios, & adificate singuli singulos.*

Erat certe satis grauis isthæc Apostoli ad Colossenses & ad Thessalonicenses admonitio : idem tamen grauius ac maiori pondere repetitur Ebr. III, 13. *Exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur peccati fraude.*

Hæc sane omnibus, qui doctrinam Christi amplexi fuerunt, dicta sunt. Si omnibus dicta sunt, (quod negari nequit) inde recte inferitur, ne officio quidem hominis Christiani vos satisfacere, ea si omitatis. At vero non tantum Christo vos nomen dedistis, (vtinam etiam omnes dedissetis corda!) sed etiam illi studio ac vitæ generi vos addixistis, quo vt potentes in Scripturis, totique adeo in his exercitationibus occupati sitis, aliisque in
iis

iis præluceatis, conuenit. Quam rem non possum quin vberius confirmem verbis Clarissimi Vockerodti, Viri de re non tantum literaria, sed etiam ecclesiastica optime meriti: qui in edito nuper elegantissimo *Consultationum* libro, *Consult. XIII. de Institutione Iuuentutis ad munera Ecclesiastica*, postquam exemplo AVGVSTINI declarauit, Exercitatione (post Conversionem) opus esse, si quis sacra rite velit administrare, §. 14. ait: *Ita olim ad Ecclesie munera preparabantur sacrarum litterarum cultores. Non corpora in palestris saltando, armis, signisque militaribus vibrandis, vel equitando exercebantur: quod hodie non raro lautioris conditionis iuuenes, sacris si studiis se addixerint, facere videmus. Non ingenia discendis saltem artibus immergebantur, inanibus philosophematis atterebantur, frivolis & fructu carentibus questionibus torquebantur, & detorquebantur ad praua de rebus*

rebus sacris iudicia : non denique lingua
 ad verborum pugnas armabatur , nec
 instruebatur ad declamandum de Numine
 sine lumine , de rebus sacris sine experi-
 entia , & usu , & contra propria vite
 exemplum. Corpora illi castitate , &
 temperantia coërcebant : pectora viua JE-
 SU CHRISTI cognitione imbuebant : in-
 genia litteris sacris excolebant : linguam
 ita assuefaciebant , ut non minus ad ta-
 cendum , quam ad dicendum de rebus di-
 uinis , usu cognitis , prompta esset , sic ta-
 men , ut ea non plus ad perorandum , quam
 orandum , & laudandum salutis autorem ,
 vterentur. Neque a rudimentis repente
 ad sacerdotia , vel ecclesiarum praefecturas
 properabant , & cruda adhuc studia pro-
 pellebant in sacra rostra : in secessu , pro-
 cul a strepitu hominum , sui experimenta
 capiebant , dabantque.

Agite igitur , o nostri , alacriter
 ingredimini stadium , quod vobis
 hic

hic proponitur decurrendum.
 Quæso autem, ita illud decurrite,
 vt calcaribus numquam indigeatis.
 Incitet vos amor verbi diuini; sti-
 mulos vobis addat veritatis cog-
 nitione, largius indies mutua ædifica-
 tione vobis impertienda; inflam-
 met vos Sanctus Dei Spiritus,isque
 vires superne, vt sancta sancte &
 salutariter tractetis, vestris animis
 suppeditet.

Obseruate autem, Dilecti, ra-
 tionem atque ordinem, pressius hic
 ob oculos vobis positum, aut insu-
 per consilia Præceptorum exquiri-
 te, quibus exercitationis vestræ ra-
 tio ad particulares circumstantias,
 ad progressus, ad captum singulo-
 rum & reliqua, accuratius refera-
 tur, ne defleatatis de via, sed vt cun-
 cti potius rectas pedibus orbitas fa-
 ciatis.


Ita

Ita vos amabit Deus, & idoneos vos efficiet, per quos manifestet odorem cognitionis sui quouis in loco. Valete & negotio huic sancto, quod haud immerito otium negotiis quam plurimis vtilius dixeritis, mente Deo deuota vos accingite. Ego, vt praesto vobis Deus sit, vobisque & alias semper & quoties ad vestram in Deo aedificationem conueneritis, sua gratia subueniat & opituletur, in nomine JESU CHRISTI Patrem caelestem oro atque obsecro, qui per illius gratiam semper ero

Totus vester

AUG. HERM. FRANCKE,
S. Th. Prof. & h. t. Decanus.

DE



DE
METHODO
EXERCITATIONUM
BIBLICARUM.

- I. Exercitationes Biblica, seu Collegia Biblica inter commilitiones instituenda, quamnam? Et quo fine? II. In vno Collegio pauci, Et III. Quinam potissimum consociandi? IV. Moderamen necessarium. V. Quantum temporis impendendum? VI. Quo loco conueniendum? VII. Quem oporteat esse animi habitum ante Et post exercitationem? VIII. Quod precibus inchoanda Et finienda exercitatio. IX. Fundamentum exercitationis Scriptura S. X. Pensum sacri textus quantum singulis vicibus sumendum? XI. Quis ordo inter commilitones ratione primi proponentis? XII. Primi proponentis propositio*

*sitio qualis? XIII. Commilitones reliquæ
 quomodo aut modeste colloqui, aut or-
 dinatim aliqua proponere debeant? XIV. Lingua vernacula in his exerci-
 tationibus videndum. XV. Debita præ-
 paratio ad has exercitationes quanam?
 XVI. Vana laus eruditionis & artifi-
 cii non querenda. Non negligenda
 exegetica tractatio sensus litteralis.
 Quæ proferuntur, succincte libro in-
 scribenda. XVII. Meditationis & Ex-
 ercitationum harum subsidia. XVIII. Vin-
 cula Collegiorum Biblicorum. XIX. Con-
 moda & utilitates, quæ hinc expectan-
 da. Votum.*



I.

VT *Theologiae Studiosi*, non solum ex ore pendentes Magistrorum, salutaria quævis audiant, sed ad augendos, quos in sapientiæ studio faciunt, progressus, commilitonibus etiam solerter perfrui discant, tum alia plurima, tum in primis *Exercitationes Biblicæ*, quas *Collegia Biblica* nominare liceat, suaderi solent. Non autem in genere omnia, quæ ita appellari possunt, sed talia hoc loco intelligenda sunt collegia, quæ ipsi inter se habeant Studiosi, & in quibus ea, quæ pie meditati fuerunt, modeste exponant, omniaque ad AEDIFICATIONEM mutuam, tamquam ad finem, cura omni atque industria referre satagant.

II.

Numerus commilitonum, qui vnum eiusmodi collegium Biblicum constituent, maior non sit, quam vt singuli singulis vicibus meditationes suas in medium proferre possint. Quare non nisi paucos ordinarie in eo instituto suademus consociari. Verumtamen vsu venire potest, (sicuti mox videbimus) vt maiorem numerum causæ quædam suadeant aut requirant.

B

III, li

III.

Ii videlicet, qui iam tum ad aliquam civi-
 lem quasi communitatem adstricti sunt, e.g.
 qui eodem *victu*, iisdem *adibus*, eodemque *mu-
 seo* utuntur, commode se in eiusmodi quoque
pia exercitatione coniungunt. Ita enim re-
 liqua, quæ inter eos intercedit, consuetu-
 do tanto magis sanctificabitur, quanto non
 tantum arctius, sed etiam sanctius ex amica
 tractatione verbi diuini vinculum animo-
 rum existet. Pari ratione etiam ii, quos
Patria communis, quos *Educatio*, quos *Schola*
 iam olim conciliauit, recte in tali collegio
 iunguntur; nisi aut morum, aut etiam
 studiorum diuersitas eos nimium disiunxe-
 rit. Sic enim complures seruabit, quæ
 alias frequenter iuuenes perdit, veterum
 amicorum ab adolescentia inde culta, po-
 steaque in Academiis continuata amicitia
 & familiaritas. Atque in huiusmodi casi-
 bus, vbi multi iam alia ratione consociati
 sunt, quid obstat, quo minus complures
 ad tractandum verbum diuinum precesque
ὁμοθυμαδόν fundendas congregentur? Quod
 enim exercitationi singulorum, & forte et-
 iam adificationi, per multitudinem mem-
 brorum collegii decedere videtur, id mul-
 tis aliis rationibus satis superque pensabi-
 tur. Neque eiusmodi numerosum colle-
 gium

gium excludet aliud, saltem semel in hebdomade cum paucioribus commilitonibus instituendum. Ceterum, vt Studiosi certo sciant, quibuscum inire id exercitii consultissimum sit, Præceptorum consilio atque arbitrio hanc rem permittant. Hi enim facilius dispicient, quibus & conuenientissimum sit & fructuosissimum, vt coniungantur.

IV.

Moderamen harum exercitationum deferet *Ordo Theologicus* iis, quos ad id sustinendum maxime crediderit idoneos. Quod si vero exercitatori alicui ex ipso commilitonum numero id aliquando delatum fuerit, caueat is quam maxime, ne sibi aliquam inde tribuat honoris prærogatiuam; quin potius vltimus & primus sint in honore pares. Tantum ille bono ordini conseruando, ac instituto alacriter & pie continuando inseruiat, ne quid perperam agatur, omni ratione prouideat, nec quidquam suo, sed Præceptorum potius arbitrio decernat.

V.

Quantum *Temporis* eiusmodi exercitio quauis hebdomade infumendum sit, id ipsi illi iudicare debent, qui ad id ineundum nomina sua dederint. Aestimandum id e-

B 2

nim

nim est ex rationibus reliquorum studio-
rum, aliarumque circumstantiarum: quæ si
permiserint, vt quotidie ad eam exercita-
tionem, cum paucis commilitonibus insti-
tuendam, conueniant, vtraque id manu om-
nino amplectantur. Sin minus, tres aut
duas horas, vel saltem vnã singulis heb-
domadibus horulam, rei tam vtili impen-
dant. Id vero diligenter caueant, ne eas
feligant horas, quibus alia, quæ magis ne-
cessaria sunt, negotia, in primis sacra publi-
ca, impediuntur; idque etiam atque etiam
videant, ne feruenti principio paullatim suc-
cedat frigus, re ipsa nihil, quam *Opus*, vt
vocant, *operatum* relinquens, vt tandem pu-
tent, rei ipsi satisfactum esse, si modo tem-
pus ei impenderit.

VI.

De *Loco*, quo conueniatur, non erit
difficilis deliberatio, quum facile cuiusdam
e commilitonibus museum exiguo præsertim
numero sufficere possit. Quod si vero con-
iungantur ii, qui communi victu vtuntur,
forsitan eum ipsum locum, vbi cibum vna
capere solent, ad hoc negotium adhibere
poterunt; si pace hospitis fiat, cui in ea re
molesti esse minime debent. Id semper de
loco videndum, vt nec aliis impedi-
to sint, nec turbentur ab aliis.

VII. *Præ-*

VII.

Preparati precibus domesticis, iisque privatis, singuli ad collegium Biblicum accedant; eoque finito quisque ad sua illico redeat. Ita enim fiet, ut composita mente sanctum hoc negotium adgressi, & secum, eo durante, maneant, & eo peracto, non temere perdant ea, quæ apud animum fideliter erant custodienda.

VIII.

Initium collegii precibus fiat, precibusque finis eidem imponatur. Neque quisquam putet, hoc consuetudini potius, quam necessitati, dandum esse: immo vero, quod iam monuimus, cauendum maxime, ne in frigidam & mortuam consuetudinem praxis hæcce paulatim degeneret, sed vigilandum potius omnibus, quo ex animo, ardentem & constanter in nomine Christi omnia peragantur. Quod si enim preces frigeant, certe nec reliqua feruebunt. Quid enim ferii in sermone cum hominibus agat, qui, ubi cum Deo loquitur, serio rem non agit? Neque tamen multitudine verborum metienda est animi deuotio. Sint pauca verba, modo animus ardenti gratiæ desiderio teneatur; atque ad agnoscendam faciendamque Dei voluntatem orando adspiret.

IX.

Fundamentum totius collegii seu exercitationis, vel res tractanda, fit *liber Biblicus*, vel pars alicuius libri, e. g. Cap. V. VI. VII. Matthæi, Epistola quædam facilior ac brevior Pauli, Petri, Johannis &c. Quamquam nihil hic pro lege præscribitur. Id tantum videndum, vt, quæ tractantur, captui omnium sint accommodata, & vt faciliora anteferantur difficilioribus.

X.

Pensum, e Scriptura vna vice tractandum, neque fit nimis longum, ne leui brachio tractetur; neque nimis breue, ne meditationum copia minus exercitatis longius petenda sit.

XI.

Ordo quidam inter membra collegii constituatur, vt sciri possit, cui singulis vicibus loquendi initium, tum fundendis ad Deum precibus, tum meditationibus proponendis, faciendum sit: neque enim moderatoris duntaxat id officium esse debet, sed ordinatim quisque primi proponentis munus obeat.

XII.

Atque is, quem ordo tangit, præmissis precibus, pericopen propositam prælegat, primum in lingua originali, deinde in lingua

gua Latina vel vernacula; lectam breuiter explicet, ita, vt de re, quæ in illa tractatur, veroque Spiritus Sancti scopo ac sensu litterali, nec non de vocabulorum singulari emphasi, ea, quæ sunt maxime necessaria, proferantur; explicata paucis ita applicet, vt ædificatio in fide ac caritate indesperari possit. Sed hæc incipientis propositio vltra dimidium horæ protrahenda non est, immo nonnumquam quadrans horæ ei suffecerit, etiamsi duarum horarum spatium toti Exercitationi tribuatur. Satis erit, si explicationis & applicationis solidæ fundamenta ille indicauerit, ne forte tempore reliqui commilitones excludantur, pro se quisque exposituri, quæ vel ad sensum profundius eruendum, vel praxin fidei & caritatis ex eo ostendendam, vtilesque alias admonitiones subiiciendas facere existimabunt: quos vero primus omnino impedit, si ille exhaurire omnia laborat. Quisque vero, seu primus seu post primum cum reliquis sua proponat, sedulo caueat, ne opinione suarum meditationum temere infletur, aliisque se præferat, sed iis potius, quæ ab aliis in medium adferuntur aut monentur, gaudeat, suumque animum humiliter submittat.

XIII.

Si quid temporis sit reliquum, id alio atque alio modo vtiliter poterit collocari.

Quod si modesta pariterque exercitata forent ingenia, colloquio libero nihil esset suauius, nihil facile vtilius. In colloquio autem formam certam præscribere, nihil attinet. Silendi loquendique limites ipsa modestia præscribet. Eiusmodi vero pium colloquium institui ita debet, vt alias in colloquiis virorum honestorum & grauium fieri apparet, vbi sedate placideque, ac sine strepitu confuso atque immodesto, omnia peraguntur, nec alius alium loquentem interpellat, neque paulisper filere contra decorum est, nec loqui honestum semper aut decorum; neque etiam vnus sibi sumit, vt solus loquatur, reliquosue verborum multitudine obtundat. Neque tamen tam absurdus est quisquam, vt eos, qui ita modeste, placide & honeste de rebus honestis colloquuntur, neglecti ordinis accuset, etiam si de nulla re minus, quam de ordine obseruando cogitauerint. Experientia vero nos iam olim docuit, ea ratione collocutos Studiosos etiam complures, & debito modo egisse omnia, & longe maximam inde vtilitatem percepisse. Estque res ipsa quodammodo gratior, & ad vsum in reliqua vita accommodatior, si quam proxime ad conuersationis honestæ formam, sine præscriptis legibus, accedat. At enim, quia iuuenes, saltem plurimi, ea non sunt ani-

animi moderatione, vt (nisi superioris alicuius, qui auctoritate sit præditus, præsentia eos in ordine contineat) sine positis limitibus alii aliis cedant, & vt omnia tamquam coram Dei facie peragant; propter eam ipsam leuitatem & imbecillitatem animorum iuuenilium non vtile tantum, sed necesse etiam, & ab ipsa re iuberi videtur, vt eiusmodi colloctiones accurato prudentiæ moderamine ita gubernentur, ne ad fatuam garrulitatem sensim, aut ad contentiones etiam deflectant, sed intra orbitas pietatis retentæ finem ædificationis consequantur. Immo ea de causa præter illum ordinem inter primos proponentes, de quo iam dictum est, etiam inter reliquos loquentes certus ordo, quem obseruent, rectissime constituetur; & si qui longiori sermone tempus loquendi reliquis præripiant, in eo etiam certi loquentibus limites præscribentur. Iunioribus autem, ac plane inexercitatis, merito etiam filendi libertas relinquatur, immo silentium suadetur, donec audiendo profecerint, nactique aliquam animi facultatem fuerint, qua ad verba quædam vtilia decenter proferenda idonei fiant.

XIV.

Lingua vero vtantur vernacula: Germani Germanica, Hungari Hungarica, Poloni Polonica, (vt fieri inter eos poterit, qui ex

iis Nationibus ad hanc Academiam accesserunt) qua videlicet quique in sermone cum aliis, maxime autem in functione ecclesiastica, sibi aliquando utendum fore credunt. Latina lingua alia occasione exerceri & potest & debet; verum hic, quod supra dictum est, ædificatio est finis; quæ vero facile impeditur, nisi dicentis cogitationi sua quasi sponte pareat sermo, & hic ipse ad communem loquendi consuetudinem quam proxime accedat.

XV.

Vnusquisque commilitonum, antequam collegium Biblicum adeat, domi se ad id præparet verborum Scripturæ, quæ ea vice tractanda sunt, lectione accurata; & hanc adeo cum quadam meditatione coniungat, ut ea, quæ animo satis digesta fuerint, deinde in collegio proponat. Quoniam vero in hac præparatione præcipuam tirones difficultatem reperire solent, in eorum gratiam aliqualem meditandi viam ostendemus. Precibus ante omnia ad Deum fufis, quibus auxilium eius implorent, perlegant statim clara voce pericopen, quæ tractanda est, primum in lingua originali; deinde versionem vernaculam, Latinamque conferant; vocabulorum ac phrasium, quæ in originali lingua habentur, emphasin ponderent, videantque, vtrum verum pericopæ illius
fen-

sensum aliquo modo percipiant. Porro, le-
 gant conferantque pericopæ illius antece-
 dentia & consequentia; immo totum li-
 brum, qui in collegio tractandus est, initio
 statim priuato studio familiarem sibi fre-
 quente lectione reddant, ac deinceps, vbi
 meditatio in proximam pericopen institu-
 enda fuerit, relegant familiarem iam antea
 factum, repetantque, si fieri potest, quoties
 ad alia Scripturæ verba tractanda in colle-
 gio venitur. Hac ratione crebrius relecto
 libro, rectius de scopo, vt totius libri, ita
 singularum pericoparum constabit. Euol-
 vantur deinceps loca parallela, siue ea in
 Codice Biblico iam legantur adnotata, siue
 memoria, & ipsa verborum tractandorum
 accuratior consideratio, ea suppeditauerit.
Textus, ita ponderatus, & quodammodo in-
 tellectus, transferatur ad applicationem: id
 quod simplicissime fieri potest, si quis exa-
 men sui ipsius instituat, & ipse se hoc vel
 simili modo adloquatur: *Hic video Deum,*
per verbum suum hoc vel illud a me exigere. Ad
hanc amussim examinanda iam est vita mea, &
quomodo animi mei status ei respondeat, probe vi-
dendum. Hic vero iam neminem sibi blan-
 diri oportet, maximoque studio est cau-
 dum, ne meditantis animus sese sponte, &
 quasi studio, in errorem induat, eaque dis-
 simulet aut neget, quorum a diuina verita-
 te

te reus agatur: hæc enim summa foret stultitia. Immo vero conscientia, qua par est, humilitate excussa, testimonium quisque audiatur, eiusque sententia prona sese mente subiiciat. Quod si vero adeo crassius, eoque quasi callo obductus sit animus, ut semet ipsum penitus non agnoscat, Deum roget precibus feris, ut eo stupore mentem miseram liberet, eique primum respicientia gradum, qui est cognitio sui ipsius, concedat. Neque vero desperent tirones, si prima, secunda atque tertia vice, immo pluribus vicibus, nec emphasin vocabulorum inuestigare, nec antecedentia & consequentia cum verbis tractandis, qua par est, ratione conferre, nec ex libri aut epistolæ allicuius crebriori lectione aliquem fructum persentiscere, nec scopum libri aut certæ pericopæ cognoscere, nec loca parallela invenire, nec applicationem ad proprium animi statum facere se posse deprehendant. Quo enim se ad omnia vident ineptiores, eo magis, ut commilitonum solertia atque exemplo excitentur & adiuventur, opus habent. Attento igitur animo auscultent, idque sapius, qua ratione commilitones ea, quæ præmeditati sunt, proferant; observent diligenter ipsum proponendi modum, quo isti exercitatiores utuntur; quæ pie ab iis monentur, animo inscribant; utque ea
in

in animo infixæ maneat, Deum implorent, & ad ipsam praxin omnia sedulo traducant. Interea priuatim modo paullo ante præscripto vti pergant, vt ita ad commilitones numquam, nisi probe præparato animo, accedant, semperque iam antea habeant cognitum exploratumque, quid & quomodo dicendum sit, ne inanibus verbis, tautologiis & inconcinnis circumuagationibus postea indulgeant. Ad quod incommodum euitandum, verba Scripturæ tractanda ad certam etiam Thesin referre, & ex compendiis Theologiæ probatissimis ac Catecheticis institutionibus certum momentum pro cynosura habere studeant. Ita si crebrius audiendo animum aduerterint, seque omni studio præparauerint, paullatim magis idonei reddentur, ac splendebit lucernæ instar verbum Dei in loco caliginoso animi, immo ipse dies magis magisque illucescet, & phosphorus in corde exorietur. Tum sterilitati pristinæ ea succedet piarum meditationum fertilitas, vt, quas præ reliquis expromere debeant, difficulter discipere possint.

XVI.

Vanam eruditionis laudem, eamque nunquam alias ambiendam, nemo plane in eiusmodi Collegio adfectet, sed potius simplici-

plicitati verborum & ædificationi solidæ
 quilibet studeat. Satis hic eloquens, qui
 e bono thesauro cordis pie & bene dicit,
 Talia enim exercitia non instituuntur, vt
 qui iis operam nauant, oratores fiant, sed
 vt Christiani, & si Christiani vere sunt, vt in
 fide & caritate ea capiant incrementa, quæ
 decent hominem Dei. Optima hic erudi-
 tio, ad regnum Dei erudiri; optimum ar-
 tificium, veritatem illibatam puramque si-
 ne coloribus & quæsito artificio proferre.
 Eruditio vere Theologica sequetur eos, qui
 sapientiam diuinam e verbo Dei debito
 modo haurire satagunt. Quæstiones au-
 tem inutiles, historiolas passim excerptas,
 sententias profanas, critica ea, quæ ad fi-
 dem & ædificationem non faciunt, & quæ-
 cumque tandem sunt eius generis, quibus
 alii adfectant multæ lectionis & eruditio-
 nis laudem, ea omnia hic missa faciant ii,
 quibus sanctus huius instituti finis cordi est.
*Inter humanas disciplinas alie alium habent sco-
 pum, -- Hic (in tractatione Scripture) primus &
 vnicus tibi sit scopus, hoc votum, hoc vnum age, vt
 muteris, vt rapiaris, vt adsteris, vt transformeris
 in ea, quæ discis. Animi cibus est, ita demum
 utilis, non si in memoria ceu stomacho subsidat,
 sed si in ipsos adfectus & in ipsa mentis viscera tra-
 iiciatur. Ita demum tibi videre profecisse, non
 si disputes acrius; sed si te senseris paulatim alte-
 rum*

rum fieri, minus elatum, minus iracundum, minus pecuniarum aut voluptatum aut vite cupidum, si quotidie vitiis decedat aliquid, aliquid accrescat pietati. Verba hæc sunt Erasmi Roterodami in *Præfatione in Nouum Testamentum*, huc quam maxime accommodanda. Nos autem porro monemus Studiosos, ne ad sensum mysticum indagandum, litterali posthabito, temere ac inepte in exercitationibus suis Biblicis festinent; vtpote ad quem tractandum idonei non sunt, nisi qui valde exercitatos in Scripturis sensus, multumque in viis Dei interioribus vsum habent. Ea potissimum loqui studeant omnes, quæ ipsi experti sunt, vel ea saltem, quæ experiri gestiunt: ne ea loquentes, quæ experientiæ exiguæ captusque angustioris limites excedunt, sensum in hypocrisim prolabantur. Quæ vero singulis vicibus a singulis proferuntur, ea, si non quoad omnia verba, saltem succincte & quoad dictorum nervum adnotentur ab aliquo commilitonum ad hoc negotium idoneo, & quidem in volumine peculiari ad istum vsum ex charta pura adornando. Hunc librum is, cui moderamen collegii iniunctum est, adseruet, atque vt recte, & quantum fieri potest, nitide omnia inscribantur, curet.

XVII.

Ceterum nec desunt apud nos publica *exercitationis* huius & antecedentis eam *meditationis presidia*. Sunt in hac Academia nostra *Lectiōnes Paraphrastica & Exegetica*; sunt, quæ dicuntur *Parænetica & Ascetica*; sunt *Exercitia Catechetica*, popularesque *Exhortationes* cum *Expositione* verbi diuini coniunctæ; Quid? quod annua *Institutionum Theologicarum* vna cum *Theologia Morali*, quæ vocatur, pertractatio, ipsæque *Conciones* publicæ viam ad hunc scopum ex voto perueniendi ostendunt ac patefaciunt. His aliisque adiumentis, quæ hic præsto sunt, qui fruuntur constanter, prout pios Theologiæ Studiosos decet, iis non deesse poterit ὑποτύπωσις, quam tuto sequantur. Addatur his lectio præstantis alicuius libri practici, quales sunt libri *B. Arndii de Vero Christianismo*: quem vtinam tam diu omnes Christiani legerent relegerentque, donec mascula fide caritateque præditi, illum veri Christianismi typum omni vita sua exprimerent. Commendabunt præterea Præceptores, si consulantur, libros exegeticos, quorum in tractatione singulorum librorum Biblicorum vsus eximius esse possit, e. g. ad tractationem *Epistolæ primæ Ioannis* Enarrationes *Sebastiani Schmidii, Speneri &c.* Ad *Episto-*

*pistolam ad Galatas, Lutheri, Schmidii, Spe-
neri, aliorumque. Ut autem in omnia
scripta diffundantur animi, nec opus, nec
salutare iudicari potest. Subsidia medita-
tionis seligere satis est: quæ, si infinita sint,
animos, præsertim minus firmos, obruunt,
aut hinc inde distrahunt potius, quam iu-
vant. Insuper hoc tenendum est, Studiosos,
si eos libros Biblicos in collegiis suis tra-
ctent, quos Præceptores in Prælectionibus
Academicis vel adhuc explicant, vel nuper
expofuerunt, eadem opera & repetere ea
posse, quæ audiuerunt, & meditationum
suarum adminicula numquam non habitu-
ros esse prompta atque parata.*

XIX.

Tandem nec *Vincula* deesse debent, qui-
bus & animi commilitonum arctius indies
conglutinentur, & si quod semel institu-
tum est collegium, id conseruetur. Vincu-
la autem sunt: *caritas* fraterna inter com-
militones; *idem scopus*, vt ad facienda ho-
minis Christiani, & in primis futuri ministri
Ecclesiæ, officia se mutuo excitent; *reueren-
tia Numinis præsentis*, vera *humilitas* ac *mode-
stia*; *praxis eorum*, quæ bene ac salutariter
in collegio dicta sunt, *vitaque* cum in-
nocentia ipsius instituti *conformitas*; ad-

C

moni-

monitiones fraternæ, nec importune prolatae, nec impatienter admissæ; studium vnius cuiusque, se primum, ac deinde alios corrigendi, & alios quidem exemplo magis, quam verbis; Præceptorum consilia tum maxime adhibenda, sicubi aqua hæreat, aut si quæ minus recte in collegio agi non nemini visa fuerint; infirmorum toleratio; legum externarum, de quibus inter omnes boni ordinis gratia conuenerit, obseruantia; denique vera & Christiano homine digna animi grauitas, & constantia.

XIX.

Illis omnibus ita, vt delineauimus, institutis, & his, quæ indicauimus, accedentibus vinculis, dubium superesse nemini potest, quin *exercitationes* eiusmodi *Biblicæ* per insignem Theologiæ Studiosis utilitatem sint adlaturæ. Amorem enim verbi diuini, in cuius assidua tractatione & applicatione cardo vertitur totius studii Theologici, ipsa veritas accendet, tamquam ex aurifodina multorum opera profundius atque copiosius eruta. Hinc diligentia nascetur, non mercenaria illa, quæ præmia spectet temporalia, sed christiano homine digna, quæ ad Dei gloriam & proximi commodum omnem operam referat, laudabili-
que

que φιλοτιμία, somnolentiam excutiente, foveatur. Exercitatio, quæ est anima disciplinarum practicarum, hebetiora acuet ingenia, acuta & ferocia in ordinem & sub obsequium fidei, ne sibi sapiant, rediget. Arrogantia, invidia, morositas, μαρολογία & εὐτραπέλια, ac multa alia, quæ in Scholis & Academiis pullulare solent, vitia, vt in herbis moriantur, fraterna, eaque reciproca, efficiet commonefactio, iuncta tractationi verbi, & accedente vnius atque alterius probi commilitonis exemplo. Modesta & prudens παρρησία, silendi loquendique decentem obseruans vicissitudinem, neque, intempestiuo pudore, nec præcipiti audacia, aut impotentia animi peccans, vbi feliciter acquireretur, quam in hac honestissima cum æqualibus consuetudine? Erit hæc Scholæ orationis ac meditationis, quibus, accedente tentatione, Theologum effici, B. Lutherus recte adfirmavit. Progressus, quos tum in pietate, tum in scientia theologica, singuli faciunt, hic omnibus, lucro singulorum, redduntur communes. Nihil hic tractatur, cuius non in omni vita vsus esse possit, non tantum ad recte loquendum, sed etiam, & præcipue quidem, ad recte sentiendum agendumque. Vt autem docendi alios, iisque viam veritatis monstrandi facultatem Studiosi paullatim con-

sequantur, vbinam commodius exerceri
 possunt, quam intra priuatos parietes, vbi
 nec ipsis tanto pudori, nec facile damno ali-
 is est, si vel maxime quædam perperam
 dixerint? Ita enim, etsi neque ad collegia
 Homiletica, quæ dicuntur, initio studiorum
 Academicorum protinus accedunt, quod
 est contra bonam methodum, neque peri-
 culum ad loquiū sacri publice faciunt; nihil
 tamen eorum omittunt, immo & longe
 magis, & melius, & debitis gradibus in iis
 omnibus exercentur, quæ ad eundem finem
 obtinendum pertinent. Quum autem
 improbandum maxime sit, iuuenes nulla
 pœnitentia subactos, nullaque pietate con-
 spicuos docendis aliis, seu potius verbis
 dumtaxat faciendis, publice in suggestu sisti;
 quis non gaudeat, rei huic indignissimæ
 adhiberi medelam, viamque ac rationem
 effendi, qua se, qui alios docere gestiunt,
 doceant ipsi primum, immo ad omne opus
 bonum, tamquam Dei homines, idonei eua-
 dant? Quid plura? Audiamus ipsum Spi-
 ritum Sanctum, piam hanc animorum in
 Deo coniunctionem Psalmo centesimo tri-
 cesimo tertio ita celebrantem: *O quam suaue,
 quamque incundum est, habitare fratres simul! Ut
 bonum unguentum, quod ex capite in barbam, bar-
 bam, inquam, Abaronis, & vestimentorum orans
 defluit. Ut ros Hermonis, qui defluit in mon-*

rem Sionis, ubi DOMINVS semper suam
promittit benedictionem, & vitam vsque in secu-
lum. Amen. !



TE rogamus atque obtestamur,
Pater cælestis, per Filium vni-
genitum, summum nostrum, Aha-
rone præfiguratum, Sacerdotem,
vt præstes inter nos impleasque
tanta tua promissa. Accende in
nobis omnibus verbi tui amo-
rem, vt indefesso pioque studio
id tractemus, ex eo nostræ pro-
funditatem miseræ & tuæ gratiæ
diuitias immensas, ductu Spiritus
Sancti cognoscamus, indiesque
magis sanctificemur in veritate
tua, quia verbum tuum est veri-
tas. Eos, qui Theologiæ Studio-
si audiunt, animumque ad testi-
monia tua aduertunt, se bono Ec-
clesiæ tuoque honori vnice de-

vouentes, paterno vultu respice,
 ad Filium pertrahe, Spiritu San-
 cto imperti. Animos eorum in-
 ter se coniunge veneratione tui
 nominis, Christi amore, facien-
 dæ voluntatis tuæ desiderio, ca-
 ritate fraterna, zelo sancto & ordi-
 nato, humilitate tibi grata, con-
 stantia & fide imperterrita, serua sui
 abnegatione, odio peccati; atque
 sic, vinculis coniunctos sanctissi-
 mis, participes redde omnium bo-
 norum cælestium, quæ tot retro
 sæculis pollicitus es ac præparasti
 credentibus in nomen Filii tui: cui
 sint tecum & cum Spiritu Sancto
 æterna laus & gloria.

Amen!

